DE HEPATITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS...

Giuseppe Barbizzoli

DE HEPATITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS HONORES

IN MEDICINA ASSEQUENDOS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

C. R. Universitate Patavina

PROPONIT

Barbizzoli Joseph

DE

VOLTA MANTUANA

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII.

PATRI MEO AMANTISSIMO

GRATI ANIMI

ARGUMENTUM.

DE HEPATITIDE.

Innumeros inter morbos, a quibus frequentius homo vexatur, hepatis morbi sunt recensendi. Constat enim ab experientia viscus istud, quamvis situ suo, quem in corpore occupat, nequeat a corporibus externis immediate affici; attamen saepe saepius in functionibus suis turbari vel quoad strictam sympathiam, qua organis maxime vitae necessariis (cerebrum nempe, apparatus gastro-entericus) nectitur, vel quoad suarum partium continuitatem, cum duodeno per ductum choledocum; sive functionum analogia cum ceteris organis secernentibus, sive demum relate ad intimam texturam vasis innumeris praestantem.

Historia vero accurata singularium hepatis affectionum non adhuc ex nosologia ulla depromi potest. Hujus revera propositionis veritas elucescit dum auctorum, qui de hacce morborum classe tractaverunt, opera perlegantur. Sic veteres arbitrantes bilem per universos corporis textus diffundi, quantitatem morborum potissimum ex hujusce fluidi aberratione relate ad qualitatem et massam statuere, minime referentes perturbationes

istas ad viscus, a quo originem primitivam duxerant.

In Nosologia Sauvagesii harum affectionum numerus admodum extensus apparet; characteres vero, quibus singillatim quaevis affectio designatur, haud clare innotescunt, ut practica utilitas exoriri possit.

Pinel contra paucas hujusce generis affectiones denotat, hepatitidem chronicam omnino omittendo. Sic et dici potest de nonnullis recentibus auctoribus, quorum opiniones in hocce argumento inter se quam maxime discrepant.

Quapropter in tanta obscuritate morborum circa hujuscemodi classificationem, pauca de hepatitide proferre mihi operae pretium visum est. Cum enim affectio ista ea sit, cui magis obnoxius hepar evadit, idea clara et distincta ejus necessaria primitus nobis est concipienda; ut exordium ab obliquo indubio cardine hauriamus, ex quo ad ceteras hepatis laesiones observandas procedamus.

Sub hepatitidis nomine intelligitur parenchymatis jecoris inflammatio. Divisio, quae omnes antecellit et comprehendit, est illa quae instituitur in acutam et chronicam.

Hepatitidem acutam haecce morbosa symptomata comitantur. Aegrum angit dolor urens, lancinans, intensionis gradu differens in hypochondrio dextero: dolor hic magis minusve extensus ad regionem thoracis ejusdem lateris, et aliquando ad humerum extenditur. Sub pressione, inspi-

ratione, tussi, et dum aeger in latere adverso decumbit, augetur. Pulsus fere semper frequentes, duri et pleni persentiuntur; cutis calor adauctus, ejusque color luteus oculo observanti manifestatur: lingua luteo muco obducta, nunc viridi, vel fere nigro: sitis intensa, anorexia, nauseae, vomendi nisus et constipatio in scenam prodeunt. Urinae secretio imminuitur, lutea, turbida et sedimentosa fit. Alvi dejectiones decolores, sive cinereae sunt. Aliquando hisce symptomatibus adjungitur tussis rara et levis. Aeger plerumque cephalalgia viriumque dejectione laborat.

Ab exposita symptomatum syndrome facile patet quales apparatus organici sint, qui, dum affectio hepatis viget, in suis functionibus laeduntur. Functiones hujusce naturae laesae referuntur praecipue ad cavum gastro-entericum, ad circulatorium, dermoideum et nervosum systema.

Hac semeiotica admissa, facile desumi potest cum de hepatitide agatur. Verum ad aegrorum lectulum perraro accidit, ut relata symptomata omnia reperiantur. Nulli revera inter morbosa phaenomena, quae exposuimus, major ceteris frequentia est innixa; dolor localis ex. gr. fere semper deest in hepatitide ex capitis laesione; et illas hepatis inflammationes, quae ab aliis causis originem ducunt, etsi frequentius, tamen haud semper comitatur dolor: et hisce quoque in casibus relate ad sedem variabilis conspicitur: nam aliquando per corpus vagat dolor adeo ut rheumaticam affectionem simulet, alia vice in epigastrii regione

adest, nunc in hypochondrio, nunc in pariete thoracis postica. Humeri dolor, teste Andral, non tam assidue sicuti neoterici observarunt, istam consequitur affectionem. Icterus saepe et ipse abest: functionum digestionis laesio raro manifestatur, illis casibus exceptis, in quibus hepatitidi gastroenteritis magis minusve intensa adsociatur. Id, quod de ceteris dictum fuit, dici quoque potest de circulationis systemate et nervoso si seorsim considerentur.

Ex quibus praemissis conclusio emergit hepatitidis diagnosim symptomatibus depromptam pendere a minori vel majori symptomatum ipsorum numero; et non raro designari eamdem nequire, si ulterioribus signis ratio non habeatur. Signa haec, causae.

Causae indolis differentis cum symptomatibus ad diagnosim statuendam concurrunt.

Hae causae in procatarticas et occasionales distinguuntur. Ad primas clima torridum, tempestas aestiva, aetas virilis, temperamentum biliosum spectant. Occasionales in quatuor ordines dividi possunt.

I. Concussio in hypochondrii dexteri regione et conatus in pondera graviora tollenda, et similia.

II. Cavi digerentis phlogosis, id per partium nexum, sive ductum choledocum eveniat; vel, ut alii putant, per phlogoseos irradiationem ex venis membranae mucosae ventriculi et intestinorum ad mesenterii et portarum venam, et deinde ad hepar; sive denique simplici nexu sympathico.

III. Capitis vulnera, cujusdam artus ablatio, animi fortiora pathemata, ut ira.

Ad IV. denique ordinem spectant: suppressa de repente transpiratio, exanthematis alicujus retropulsio, affectiones arthriticae, rheumatismi, haemorrhoidum vel habitualis fluxus suppressio, nec non deambulatio celerior nimis protracta.

Hujus morbi exitus, relate ad eorum frequentiam enumerati, sunt: resolutio, metamorphosis in chronicam hepatitidem, suppuratio, gangraena, scleroma, vegetatio abnormis, hydrops, vomica, ut patet repetitis cadaverum sectionibus, quas nobis attulerunt in suis operibus Morgagni, Bianchi, Bonnet, Conradi aliique.

Primus exitus omnium felicissimus pluries quoque evenit, cum affectio ista secundum medicinae leges tractetur.

Suppurationem sanitas raro subsequitur. Observatum fuit exitum istum, dum accidit, in visceris parte convexa evenire, et tum fluctuans tumor costis sub spuriis dexteri lateris tactu sentitur. Exempla adsunt puris malae notae, quod, diaphragmatis corrosione parta, sub tussi viam sibi per asperam arteriam aperuit, vel in thoracis cavitatem effusum est, quo in casu Morand empyematis operationem instituit, et exinde aeger sanatus evasit. Aliquando abscessus viam sibi sternit per intestina et simul cum faecibus emittitur, vel ad ventriculum transit et per vomitum rejicitur.

Quidam sentiunt, vasa lymphatica puris collecti resorptionem effecisse.

Denique pus aliquando peritonaeum corrodens, violentam peritonitidem inducit, ex qua aegro citissime vita eripitur.

Frequentior suppuratione metamorphosis hepatitidis acutae in chronicam est, idque desumitur ex localium universaliumque sympomatum imminutione, et a signorum praesentia, quae in hac apparere solent.

Gangraena admodum perrara est semper lethalis. Andral, in tractatu morborum abdominis ejus clinicae medicae, exemplum de hoc fine notat, cui addit observationem una vice tantummodo in praxi sua contigisse.

Hisce de symptomologia, aetiologia et exitu phlogoseos hujus exaratis; nunc opportunum mihi videtur mutationes organicas communiores in cadaverum sectione compertas referre, aliquid de pathogenesi addendo.

In cadaverum sectione hepar sanguine redundans observatur; ejus textura magis minusve densa facilius lacerari potest; coloris est rubri fusci; parenchyma unum vel plures abscessus puris albescentis continet. Aliquando viscus partibus vicinis, diaphragmati, stomaco, duodeno et abdominis parietibus adhaeret. Adhaesiones istae organisationem magis minusve confectam praeseferunt relate ad tempus quo morbus perduravit. Augmentum vel voluminis imminutio sequela potius chronicae quam acutae hepatitidis videtur.

Putat Broussais hepatitidem nunquam primitivam, sed semper secundariam esse gastro-ente-

ritidi vel duodenitidi, illa excepta, quae a causa mechanica originem ducit. Videtur hanc sententiam amplexus fuisse illustris Bonnet.

Sed quamvis negari nequeat phlogosim tubi digerentis frequenter illam organi bilem secernentis inducere; attamen minime consona mihi videtur veris physiologiae principiis sententia Broussaisii.

Nam si organon cerebri prae nimia ejus actione, veluti prae studio nimis intenso, pathemate animi etc., morbo affici potest; si pulmo phlogosi corripiatur ex cantu nimis producto, ex gasium irritantium inspiratione, a frigidae atmosphaerae actione, quin gatro-enteritis praecedat; qua de re phlogosi quoque hepar non corripietur causis suis propriis, abstractione a viarum gastricarum phlogosis statu facta? Ad hanc ideam roborandam maxime praestant observationes Andral, Crouvellier aliorumque, in quibus historiae hepatitidum perleguntur absque ulla sensibus perspicienda laesione ventriculi vel intestinorum.

Quoad pathogenesim, sive modum quo hepatitidem causae diversae inducere valent, mihi videtur harum causarum (traumaticis exceptis) facilem dilucidationem exhibere. Quaedam, utifrigus, in cutem agunt; aliae in nervosum systema, uti capitis vulnera, violenta animi pathemata, alias denique phlogosis hepatica ex aliarum affectionum repentina cessatione originem ducit.

Quoad primum causarum ordinem spectat, intelligitur quomodo frigus, cuti caloris quantita-

tem auferens et contractionem in vasis peripheriae inducens, efficiat, ut sanguis ab extremitatibus ad centrum repulsus sit, et congestio exinde in visceribus admodum vascularibus eveniat et hinc hepatitis.

Denique repentina cessatio aliquarum cutis affectionum hepatitidem inducit, phaenomenon hoc, juxta aliquos pathologos, hac explicatur ratione. Morbi cutanei fere semper gastricis complicantur affectionibus; cessatio vero et melius retropulsio morbi cutanei majorem sanguinis adfluxum ad interiora, atque hinc ad hepar, excitat, et ab hac eadem causa ipsius visceris inflammatio exoriri potest.

Chronica hepatitis, quae in climatibus nostris acuta frequentior est, saepius per dolorem obtusum, gravativum fixumque in hypochondrio dextero manifestatur, qui sub pressione interdum augetur aliasque nisi per hanc ostenditur. Dolor plerumque continuus haud est, ab aegro vero ad incerta temporis intervalla accusatur, et illum dyspnoeae quoque tussisque comitantur. Huic affectioni ariditas cutis adhaeret, tenuis reactio febrilis, quae in horis vespertinis patet; sensim appetitus aufertur, hinc nausea et vomitus consequuntur; cutis fere semper lutea, aegerque sensu pruriginis laborat; faeces decolores, urinae fuscae et valde sedimentosae exibentur. Cum diu temporis viguerit phlegmasia, observatur ultimas costas spurias lateris thoracis dexteri ob auctum hepatis volumen prominere, et tactum sequi hunc tumo-

rem sub margine costarum, interdum in regione umbilicali; interdum plus minusve prope ad cristam iliacam dexteram.

Morbo valde provecto, vires aegri magnopere sternuntur, et sensim in marasmum plus minusve absolutum procumbit, secundum morbi durationem. Hic marasmus profecto derivatur a depravata bilis indole, vel a cessato hujus humoris affluxu in intestinum, sive potius ab aliis alterationibus cumulatim sumptis una cum pravo influxu hepatis in tubum digerentem.

Haud raro haec morbosa phaenomena consequitur ascites et tunc diagnosis difficilis evadit, ubi adsit icterus, quia ex una parte ascites a laesionibus organicis centri circulationis pendere potest, ab alia tumor efformatus ab hepate ob extensionem et prominentiam parietum abdominalium nequit percipi. Cum ita res se habeat, erit pretium operis confugere ad signa anamnestica; et sciscitando praegressos morbos, temperamentum, vitae rationem etc., et, quod potissimum est, locum, ex quo serosa effusio cepit, veram ascitis causam statuere haud difficile arbitror, vel organon perturbatum, a quo fuit parta; si enim a laesione cordis induceretur seu vasorum maxime conspicuorum, tunc, asserunt practici, serosam collectionem ab artuum extremitate plerumque inferiorum incipere.

Nunc mihi observandum est, quod si acutae hepatitidis saepe diagnosis est obscura, eo magis difficile est chronicam dignoscere. Revera pra-

ctica medicina docet, hujus aſſectionis casus esse ſrequentiores, in qua adverso ſato sola sectio cadaverica potest organon perturbatum ostendere. Interdum itaque in chronica hepatitide deest omnino cutis color ictericus, dolor cujusvis modi ad hypochondrium dexterum, nec non tumor hujus regionis omnino absunt, aegerque nil praeter molestiam universalem notae incertae et anorexiam patitur, alvinis caret dejectionibus, depravatam digestionem cum acidis ructibus accusat, cutis ariditatem etc.

Itaque ex una parte ob defectum eorum signorum, quae organo aſſecto sunt propria, ex alia ob signorum praesentiam quae potius organi alicujus diversi laesionem indicant, vel quae ad viscus determinatum nequeunt referri, haud ſacile constat morbi veram sedem designare, et opus est ad hoc procedere sedula attentione ob indicia commemorantia, diligenter animadvertendo morbi progressum et eſſectus plus minusve beneficos remediorum, quae adhibentur.

Quidam pathologi regulas dederunt ut constituerent num hepatitis chronica in parte convexa vel in concava jecoris resideret. Ita Pajol asserit, cum phlegmasia in parte convexa resideat, dolores esse intensos ita ut pleuriticos simulent, atque iis ſebrim et tussim siccam consociari, morbumque ob ſormam suam acutae hepatitidi similem esse. Si contra phlogosis resideat in superficie concava, obtusiores sunt dolores, et melius patent symptomata gastrica, vomitus nempe, singultus, ructus etc.

Cullen arbitrabatur hepatitidem acutam semper residere in membrana hepar vestiente; chronicam vero in parenchymate hujus visceris residere: at distinctio hujuscemodi fundamento medicae ratiocinationis omnino caret, atque observationibus anatomico-pathologicis directe obsistit.

Quamplurimae sunt chronicae hepatitidis causae. Verum frequentiores (haud exceptis acutam inducentibus) sunt: hepatitis acuta in chronicam versa, abusus alimentorum stimulantium, caro nempe salita, cibi cum substantiis aromaticis conditi, et praesertim potiones alcoholicae, tristes affectiones morales diu continuatae. Induci potest a propagatione phlogoseos organi proximi, veluti a simplici peritonitide, a pleuritide singillatim diaphragmatica, a duodenitide chronica etc, pariter tandem saepe a febribus intermittentibus.

Quomodo vero agunt causae indicatae ad affectionem, de qua disserimus, producendam? Non est difficile rationem reddere de nexu inter causas prolatas et effectum hepaticae phlogoseos.

Quo enim ad substantias stimulantes in cavum digerentem introductas innotescit excitamentum nimis iteratum in membranam digerentem per textus continuitatem posse extendi ad mucosam ductuum excretoriorum bilis, atque ad parenchyma hepaticum pervenire. Praeterea cum experientia doceat, substantias alcoholicas in tubum digerentem introductas avide absorberi, ita notandum est moleculas horum liquorum posse afferri per venas necessarias directe ad hepar, atque ingentem ciere irritationem.

Quamvis tristes affectiones animi ab hepatitide chronica pluries procedant; tamen illae hanc ob causas alibi illatas gignere possunt; atque praeterea quia in moralibus hujus indolis affectionibus, propter perversum influxum nervorum cerebri in organon pulmonare, respiratio male afficitur moram patiens hinc circulatio retardatur, ac proinde in organis maxime vascularibus congestio, ergo in hepate, fit.

Denique in febribus typi intermittentis elucescit, quomodo evenire possit lenta hepatis affectio, praesertim congestio. Postremus effectus hicce morbosus derivatur ab iteratis hepaticis congestionibus inductis a rigoribus, quibuscum solent accessus febriles incipere.

Frequentiores exitus hujus affectionis sunt: hypertrophia hepatis vel atrophia; textus ejus induratio, status scirrhosus vel cancerosus, formatio hydatidum, abscessus, ejus crassa degeneratio, tubercula, aliquando evenit exulceratio parietum venae alicujus, quae haemorrhagiam illico lethalem inducit, ubi sanguis per peritonaeum effundatur, minus rapide funesta ubi liquidum hoc viam sibi sternat in ventriculo adhaesiones inter organon hoc et hepar contractas.

Si prognosis acutae hepatitidis est plerumque felix, dum adsit constitutio sufficienter robusta, aetas non adeo provecta etc., prognosis chronicae valde cauta esse debet, praesertim ubi morbus diu viguerit atque aeger virium jactura laboret.

Hisce praepositis de hepatitide modo acuta modo chronica, nunc sermo de cura sit.

Siculi hepar est organon, in quod nequit directe actio substantiarum medicinalium inferri; ita opus est agere in organa illi proximiora, ut modificatio in haec inducta ad affectum hepar afferatur. Hinc generatim remedia quae in hepatitide administrantur, pluries apponuntur cuti hypochondrii dexteri, atque mucosae gastro-intestinali conferuntur.

Si hepatitis acuta peculiaribus praestet characteribus, quibus a chronica differt; prima jure therapiam aliquantum a secunda diversam requirit.

In cura hepatitidis acutae indicationes obsequendae sunt: sedare dolorem hypochondrii, febrim inflammatoriam debellare et regularem functionem viis gastricis plus minusve turbatis restituere.

Tres hosce fines consequemur praescribendo primo diaetam severam, per quam, dum organa digerentia quiescant, novus stimulus, sanguis nempe, ab organo aegro atque ab omni animali oeconomia aufertur.

Diaetae depletio sanguinis generalis adjungitur, quae morbo incipiente larga sit. Remedium hoc bis vel pluries juxta morbi vim, praecipuorum symptomatum pertinaciam, aetatem aegrique constitutionem robustam est repetendum.

Docent practici phlebotomiam esse instituendam non modo ita ut valde imminuatur sanguinis massa circulantis in viscere atque ad biliarem secretionem assignati; sed ut et imminuatur massa

liquoris hujus organi necessaria nutritioni. Hoc praeceptum recto judicio consentaneum est, atque cognitioni textus hepatis proprii innititur, quod organon vasculare excellenter est.

Praeter phlebotomiam interest applicationem hirudinum hypochondrio dextero vel ano adhibere. Quidam practici suadent hirudines hypochondrio admovere cum phlogosis intensior versus partem hepatis convexam appareat, ano contra dum phlogosis superficiem concavam afficere videatur. Ut sedetur dolor, juvat uti cataplasmatibus emollientibus super hypochondrium. Haec topica relaxant textum dermoideum, calorem localem imminuunt mitigantque dolorem.

Interius his remediis adjungi solet copiosarum potionum acidularum usus cum parvula nitri quantitate. Si alvus obstipetur, clysmata emollientia, nec non tali casu purgantia mitiora ex oleosorum classe selecta proderunt. Haec remedia dum temperant auctam textuum irritabilitatem tubi alimentaris, partim absorbentur et una cum sanguine imminuunt nimiam vasorum actionem.

Plerumque, adlatis pharmacis aliquot dierum spatio continuatis, morbus decrescit, febris mitescit, dolor localis aufertur etc. Cum res ita se habeat, usus semi-balneorum et purgantium mitium juxta casus repetitus, nec non clysmatum utilis fit.

Hepatitis chronica generatim curam antiphlogisticam instar acutae exigit. Hinc ea remedia indicata ad hanc debellandam valent quoque ad chronicam.

In chronica autem, cum febrilis reactio sit valde levis, loco phlebotomiae fere semper hirudines adhibentur, quae alterne regioni epigastricae, hypochondrio et vasis haemorrhoidalibus apponuntur. Si dolor vivus aliquantulum eveniat, fomentis emollientibus vel cataplasmatibus ejus indolis utemur.

Diaeta quoque valde parca esse debet, aegerque ab usu substantiarum stimulantium omnino abstinendus est, quia stimulus quicumque in membranam mucosam potest ad hepar transgredi et hinc ejusdem phlogosim ciere.

Hac in affectione beneficos producunt effectus aquae minerales *Recobarii* atque *Starii*, ut non semel in Clinica nostra schola observavimus, non praetermittendo etiam calomelanum aut ferri praeparata, quae utiliter fuerunt administrata. Docet vero experientia usum vicissim tollendum esse, ne vias gastricas nimis irritando damnum, loco juvandi, afferant.

Ubi adsit hepatis infarctus, frictiones mercuriales proderunt in regione hepatica. Cura haec continuari debet donec prima ptyalismi symptomata patent, idest secretio salivaris augetur, et saporem metallicum sentit aeger. Symptomatibus hisce apparentibus aliquot diebus cura mercurialis est auferenda, in posterum vero suscipienda. Loco unguenti mercurialis quidam praescribunt frictiones cum unguento hydrojodatis potassae, quod praeferendum, cum ptyalismum non inducat.

Praeter haec solent praeberi interne summa

cum utilitate decoctiones taraxaci, boraginis, parietariae etc., et rhei electi infusiones. Indicatur quoque ob obstructiones resolvendas usus saponis medicinalis veneti una cum calomelano Riverii.

Quum per dicta medicamina aeger ad valetudinem prope est adductus; quod a febris cessatione, a diminutione tumoris hepatici, a calore aegrotantis vividiore, a meliori effecta digestione et ab aucto appetitu dignoscitur; tunc diaeta augetur, atque, ut vires amissae recuperentur, amara tenui dosi administrata adhibebuntur, animadvertendo ea tollere, dum sitim excitent et aliquem perlevem dolorem ad epigastrium promoveant.

THESES

I.

Icterus haud semper pendet ab obstructione ductuum biliferorum.

II.

Bilis secretio systemati venae-portae tribuenda.

III.

Organon quodcumque affici potest ex se, quin affectio ab alio organo dependeat.

IV.

Inter varias scientiae medicae partes anatome pathologica necessaria.

V.

Non solum vasa lymphatica, sed etiam venae absorbent.

VI.

Cuticula, epidermis organisatione et vitalitate minime caret.

VII.

Cura in morbis habitualibus difficilior.

VIII.

Medicina innititur ratiocinio et experientia, quarum una alterum non excellit.

IX.

Conditionis pathologicae studium, in diagnosi et cura instituendis, summae necessitatis.
